Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

res autem in promptu non esset que daretur.
uir dei quantum interim ad presentes
angustias sufficere posset inquisiuit.
Ille uero undecim libras respondit.
Tunc dimittens eum: ad orationem
confugit. Post paululum uero re-
diens gerardus mulierem quandam de ca-
stellione foris esse. et uelle ei loqui
nunciauit. Ad quam cum egrederetur.
procidens ad pedes eius eadem mulier
.xii. librarum benedictionem ei obtulit.
orationum suffragia implorans uiro
suo periculose egrotanti. Quam bre-
uiter allocutus dimisit a se. uade in-
quiens sanum inuenies uirum tuum.
Illa uero abiens in domum suam.
sicut audierat sic inuenit. Abbas
uero consolans pusillanimitatem
cellerarii sui. ad sustinendum dominum
de cetero reddidit fortiorem. Nec tamen
semel hoc ei contigisse certum est.
sed sepe cum huiusmodi necessitas in-
staret. repente unde non sperabat auxi-
lium ei a domino affuit. Propter quod uiri
prudentes intelligentes manum
domini esse cum eo. teneritudinem men-
tis eius a deliciis paradisi nuper
egressi. rerum exteriorum sollicitudine
grauare cauebant. eas ipsi intra
semetipsos ut poterant digerentes.
et tantummodo de interioribus et conscienciis
suis. et causa animarum suarum eum consu-
lentes. In quo tamen pene hoc eis
contigit quod filiis israel legimus olim de
moyse contigisse. cum diu conuersatus
cum domino in monte syna. et caligine
nubis egrederetur et descenderet ad
populum. et ex colloquio domini facies eius
cornuta appareret et terribilis. a-
deo ut fugeret populus ab eo. Egres-
sus enim uir ille sanctus a facie domini. qui
in solitudine cysterciensi. et sublimi-
oris altitudinem contemplationis
in silencio aliquamdiu fruitus erat.
quasi de celo afferens inter homines
miraculum quoddam. acquisite sibi a-
pud deum plusquam humane purita-
tis. homines quos regere et inter
quos conuersari ueniebat. pene omnes
a se absterruit. Siquando namque
de spiritualibus et edificatione animarum
sermonem ad eos habebat. loquebatur
hominibus lingua angelorum et uix
intelligebatur. Maxime autem
in his que ad mores hominum per-
tinebant. ex habundancia cordis sui
tam sublimia eis proponebat. tam
perfecta exigebat ab eis. ut durus
uideretur sermo. in tantum quod non capie-
bant que dicebantur. Rursum cum
sigillatim audiret eos confitentes
sibi. et semetipsos accusantes super
diuersis illusionibus cogitacionum com-
munium humanarum. quas nullus
in carne uiuens homo penitus
uitare potest. hoc potissimum fuit.
in quo luci illi ad tenebras illas
conuencio esse non potuit. scilicet
quod homines inueniebat. quos
in hac parte angelos estimabat.
Angelicam enim magna ex parte de-
gustans puritatem: et ex consciencia
iam olim accepte adeo gratie sin-
gularis: simpliciter pensitans [?] u-
niuerse condicioni humane fragi-
litatis. in temptationes seu ignati-
ones [?] cogitationum harum nullum reli-
giosum uirum posse incidere. uel si
incideret. uerum religiosum non esse
estimabat. Sed uiri uere religiosi